BREVIS, ET SUCCINCTA
NARRATIO
MORTIS, ET ATROCIUM POENARUM,

QUIBUS

In execrationem Mahometicæ perfidiæ, necnon aſſertionem veræ, ac Sacroſanctæ Fidei Chriſtianæ, addictus fuit Tripoli in Barbaria

VENERABILIS

FRATER ALIPIUS
A SANCTO JOSEPHO

Clericus Profeſſus Congregat. FF. Eremitarum Diſcalceatorum S. Auguſtini Italiæ, & Germaniæ, Patria Siculus, Civitate Panormo oriundus die 17. Februarii anno 1645.

Jam antea in Italico, & Hiſpanico Idiomate, poſtea in Latino, Bohemico, & Germanico Pragæ ſub anno 1656. edita. Nunc Romæ 1715.

Ex Typographia Antonii de Rubeis in Platea Cerenſi.
SUPERIORUM PERMISSU.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

AD LECTOREM.

NIhil offenſionis eſt (ut quidam minùs rectè autumant) lapſus Sanctorum in publicum educere, ſi præſertìm Virtute Supernâ feliciùs indè emergant, quo ſeſe infelicitèr immersêre. Quid Apoſtolorum Principi negatio, quid infidelitas Thomæ obſuit, poſtquàm uterque, ille lachrymas oculis, hic ore laudatiſſimam produxit confeſſionem? De Marcellino Summo Eccleſiæ Præſule, faſti evulgant, *Cùm in immani illa Diocletiani Imperatoris perſecutione terrore perterritus, Deorum ſi-* *Breviar. Roman. 26. Apr.*

mulachris thus adhibuiſſet, eum hujus peccati mox tantoperè pœnituiſſe, ut Sinueſſam ad Concilium plurimorum Epiſcoporum venerit cilicio indutus, ubi lachrymis profuſis ſcelus ſuum palàm confeſſus eſt. Quem tamèn damnare auſus eſt nemo, ſed omnes unâ voce clamarunt. Tuo te ore, non noſtro judicio, judica, nàm prima ſedes à nemine judicatur: Petrum quoque propter eandem animi infirmitatem deliquiſſe, & à Deo ſimilibus lachrymis veniam impetrâſſe. Ecquid dicemus de SS. Caſto & Æmilio, *Quibus etiam Dominus*, ut ait S.Cyprianus, *ignovit? quos in prima congreſſione devictos, victores in ſecundo prælio reddidit, ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus antè ceſſiſſent, & undè ſuperati eſſent, inde ſuperarēt.* Omitto Hyppoli-

politos, Panchari os, Jacobos intercisos, Uſthazanes, & ne alter ſexus deſit, etiam Aureas, Chriſtetas, Calliſtas, & ſexcẽtos alios, è quorum numero noſter hic ALIPIUS cenſendus; qui, quantùm poſſet humana imbecillitas, & quantùm Divina prævaleret gratia, luculentèr in ſe utrumq; exhibuit. Fracta fides ab eo Chriſti, data Mahometo, impium ſanè opus vel ab ipſo nomine diſſonans, quod ALIPIUM pollicebatur pium: At ubi cœleſtes impiatam conſcientiam ſtimuli fodicare cœpiſſent, & verò hos illa admiſiſſet, eccè pius iterum ALIPIUS, iterum pium Chriſti mancipiũ, & Papæ! quantum? quo? ad ferrum, ad ſaxa, ad flammas, ad undas: Vidiſſes in uno ALIPIO Cle-

Martyrol. Rom. 30. Ian. 29. Mart. 27. Nov. 21. Apr. 19. Iulii. 6. Febr.

mentes, Paulos, Stephanos, Laurentios. Ità abundè expiata impietas, ità reſarcitum cum lucro damnum. Age nùnc Lector, nùm fidem perditam defleverit Alipius, num majorem gratiam, quàm amiſerit, receperit; tùm calculum fer, ubi acta Alipii perlegeris. Vale.

Reimprimatur
Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſt.

N. *Caracciolus Archiep. Capuæ Viceſg.*

Reimprimatur.
Fr. Gregorius Selleri Ord. Præd. Sac. Apoſt. Pal. Magiſter.

§. I.

§. I.

ANno Dominicæ Incarnationis ſuprà milleſimum ſexcenteſimo tertio, & quadrageſimo. Venerabilis Frater ALIPIUS à Sancto Joſepho Clericus profeſſus Congregationis Fratrum Eremitarum Diſcalceatorum S. Auguſtini, Panormi oriundus, annos ſeptem & viginti natus, juſſu Superiorum Neapolim ex Monaſterio Drepanenſi profecturus, adjuncto ſibi Socio Fratre Dominico à S. Maria ejuſdem Inſtituti converſo profeſſo, pelago ſe commiſit, cumque navis quâ vehebatur in altum fuiſſet progreſſa, in Tunetanorum, ac Tripolitanorum pyratarum conſpectum delata, ab iiſdem, ſimul cum illis omnibus, quos vehebat, eſt capta, & miſero ſervitutis Mahometanæ jugo crudeliter addicta. Dividentibus verò pro ſuo ſolemni pyratis, quam

tunc cœperant prædam, memoratus Venerabilis Frater ALIPIUS Tripolitanis obvênit: Hinc Tripolim perductus, vinculis, cæteriſque quibus Chriſtiana mancipia apud Barbaros ſubjacent, pœnis, eſt mancipatus, quas toto novem menſium ſpatio conſtanter ſuſtinuit, & Chriſtianè toleravit.

§. II.

HOc emenſo tempore, neſcio quid humani paſſus, ſuadente cum primis communi generis hoſte, & interiorem mentis aciem deludente, ſpontè Urbis Præfectum (Baſſam Barbari vocant) convenit, coram quo & aliis Officialibus ultroneè Catholicæ Chriſtianęque fidei publicum nuntium miſit, Sacrum Baptiſmum, & quam hauſerat à Parentibus Religionem, quâque ſe Deo obſtrinxerat, arctiùs religioſam profeſſionem publicè execratus. Denique habitu ejuſdem gentis indutus, nonnihil pecuniarum à Turcis accepit.

§. III.

§. III.

SIc mancipium Satanæ devotum ultrà quadrimeſtre ſpatium vitam egit, quûm ſupernâ in turpiſſimè lapſum reſpiciente Clementiâ, eundemque optimis Reverendi Patris Pacifici, Strictioris obſervantiæ Franciſcanæ Religioſi, Miſſionarii Apoſtolici, optimæ vitæ exemplis, & efficacioribus verbis movente, ac compellente, ſaniorem mentem induit, & in quam miſeriarum Lernam impegiſſet, clarè advertit: hinc crebrioribus iiſque vehementiſſimis, Chriſtiana caſtra iterum ſubeundi, agitatus ſtimulis, præfatum Patrem Pacificum conveniendi, ad ejuſdem genua procidendi, graviſſimumque illius arbitrio ſcelus Publicani ad inſtar, quod patraverat, deflendi, confitendi, expiandìque occaſionem veſtigare decrevit, quò ab ipſo criminis tam atrocis vinculis, facultate Pontificis Romani, quâ potiebatur, exemptus, &

er-

errati à DEO Optimo Maximo veniam obtineret, & gravitati ſceleris, ex præfati Patris ſententiâ, præſcriptoque abundè ſatisfaceret. Cœpit igitur pluribus ſeſe, ſuſpiria altùm ducens, mactare lachrymis, quo facinoris patrati nexibus ſolveretur: unde alter velut filius Prodigus pedibus ſuprà nominati Patris, graviſſimo, ac penè deſperato morbo pharmaca oportuna requirens, ſubmiſiſſimè accidit, ſe ad omnia, quæ Pater prædictus decerneret, funditùs exhaurienda paratiſſimum fore, candidè proteſtatus.

§. IV.

VErùm Pater Pacificus crimen hoc graviter, & eâ quâ par erat trutinâ ponderans, cenſuit in eodem ſolvendo doctioribus inconſultis minimè ſibi procedendum: unde & pœnitenti ALIPIO reſpondit, quamvls certò crederet ipſum ob publicam Chriſtianæ fidei negationem, ad ſolen-

lemnem teneri palinodiam, nolle tamen hoc ipſum ſuadere, aut injungere, niſi ſapientiorum vota conſuleret. Interìm tamèn tantæ noxæ veniam, ipſe lachrymarum imbribus à DEO, quem tali lapſu non leviter offenderat, aſſiduè flagitare non deſiſteret. Sic locutus ALIPIO Pater Pacificus omnis moræ impatiens, litteras ad R.P. Coſmam, Cœnobii Maſſilienſis ſui Ordinis Antiſtitem (vulgò Guardianum) & ad R. P. Paſchalem Pariſienſem, ejuſdem Inſtituti Theologum, Januario menſe, Anno 1645. exaravit, obnixè precatus, ut de modo tenendi trium à Chriſtianæ fidei tramite Apoſtatarum reductione (quos inter primus, præcipuuſque cenſebatur ALIPIUS) benè inſtrueretur, & quid de profeſſione ejuſdem fidei publicè faciendâ ab iis, qui illam publicè abjuraſſent, ſentirent, certior fieret. Ergo prefatorum Doctorum per litteras auditâ, captataque ſententiâ, auctor fuit ſæpè memoratus P. Pacificus ALIPIO,

ali-

aliquot ut dies in fletu & planctu atrociſſimi illius, quo ſe impiârat ſceleris, inſumeret, ſecundùm quod Sacramentali, uti nuncupant, abſolutione obtentâ, per eam DEO, ac Eccleſiæ Catholicæ reſtitutus, Divanum, hoc eſt, Congregationem, ſive Synagogam Turcicam, proximâ ſextâ feriâ (quam diem Mahometani, eo ferè cultu, quo Hebræi Sabbatum ſolent, celebrant) in decimam ſeptimam Februarii, ejuſdem Anni 1645. incidentem, intrepidus adiret, ibidemque elatâ, atque conſtanti voce ſeſe reum graviſſimè palàm profiteretur, & quod veræ, Catholicæ, Chriſtianæque fidei fœdè repudium dediſſet, ſeſeque impiæ Mahometanorum Legi addixiſſet, ex animi ſui medullis, verbo, factoque deteſtaretur, quàm poſſet vehementiſſimè.

§. V.

PRidie igitur ejus diei, ſcilicet Feriâ quintâ, ALIPIUS jam alius à

ſei-

ſeipſo, convenit, inviſitque Maſſilienſem quendam tunc Tripoli captivum, cui nomen erat Mauton, eumque blanda inter colloquia demiſsè precatus eſt, ut ſibi Sanctæ Catharinæ Virginis ac Martyris iconem, cui ALIPIUS apprimè fuit devotus, largiri dignaretur, conceſſit volens libens homo in pari conſtitutus fortunâ, eamque noſter ALIPIUS ſummâ pietate, cultu, ac reverentiâ ſuſcepit, quâ habitâ ad Virum converſus, daſne mihi, inquit, ſpontè ac libenter hoc munus? cui ille: non aliter profectò; nil hic lubentis animi deſiderari credas. Ad quem ALIPIUS, velim noveris, ait, Domine, certoque tibi perſuadeas, me præclariſſimam hanc Virginem atque Martyrem, pro te exoraturum, hanc ut illa tibi gratiam à Deo obtineat, ne ubi ego vitam iſtam exuero, tu ſuperſtitibus meis oſſibus, ac lipſanis defraudèris, imò potiori eorum parte dives, ac beatus fias, atque ità factum eſt. Vaticinium fuiſſe,

even-

eventus comprobavit, ut ſuo loco videbitur. Hinc ab eo, poſt comprecationem propitiæ, placidæque noctis, digreſſus ad hoſpitium PP. Franciſcanorum divertit, ibidemque exiguâ Cereris ac frigidæ, quaſi ultimâ vitæ ſuæ refectione contentus, vix præ doloris magnitudine, ob commiſſam contra Summum Numen offenſam, unum aut alterum bolum in ſtomachum trajecit. Noctem deindè illam inſomnem duxit Fr. ALIPIUS, Patre tamen Pacifico, & altero Mercatore Melitenſi ſtipatus, totam partim orando, partim ſeſe ad duriſſima quæque Chriſti causâ perferenda roborando, aut etiam eoſdem, de his, quæ ad hunc ſcopum faciebant, tractantes audiendo, traduxit. Die verò ſequenti, quę fuit ſextâ illâ Feriâ, in 13. Kalendas Martias incidens, horâ nobis juxtà integrum horologium matutinâ decimâ, cum Pater Pacificus veſtes ſacras Divina celebraturus ſumpſiſſet, & ALIPIUS, optatam ſuæ defe-

ctionis ab eodem confecutus veniam, præmiſsâ totius anteactæ vitæ generali exomologeſi, pro virili ſeſe ad Sacrum Epulum ineundi certaminis viaticum, ac robur ſuſcipiendum, diſpoſuiſſet, ei Pater Pacificus Divinam Hoſtiam porrexit, efficaciſſimis eum verbis cohortatus, nè latum unguem deinceps ab Eccleſiæ Catholicæ caſtris, etiamſi graviſſima quæque forent ſubeunda deflecteret. Quo perorante ALIPIUS uberrimis fletibus dolorem ſuum de offenſo DEO abundè teſtatum oſtendit: promptamque & efficacem tormenta, mortemque ipſam conſtantèr ſubeundi voluntatem lubens, hilariſque exhibuit. Abſolutis ergo ſacris, gratiiſque de more, peractis, nigrum ſumpſit indutuſque eſt habitum ALIPIUS, illum ſcilicet ipſum, quem ſui Inſtituti Sectatores Auguſtiniani Fratres Diſcalceati quotidiè uſurpant, id eſt, atram tunicam, & quod Aſcetæ vocant, capucium, & zonam coriaceam, quibus pallium

Tur-

Turcicum, ne illa foris apparerent, ſuperinjecit.

§. VI.

CUmque jam ſuis Cœlum Aurora ſplendoribus venuſtaret, ALIPIUS R. P. Pacifico (amantiſſimè eum, & arctiſſimè complexus, precibus ejuſdem enixè flagitatis)vale dixit:diſcedentem Pacificus iterum allocutus in hæc verba prorupit: Amantiſſime ALIPI, jam video te noſtræ militiæ Candidatum in arenam deſcendere, cave ſis pedem referas, ne æterno, quod abſit, & nunquam perituro bravio ſpolieris, nevè coronam tibi pręparatam, & contextam perennem, & in omne ævum manſuram, iterum levitèr perdas: quibus auditis receſſit, animoſus ALIPIUS, paratus juſſa ducis ſui intrepidè, & conſtantèr quantocyus exhaurire. Jamque quintam decimam horologii ſonus ad aures fortiſſimi Agoniſtæ tranſmiſit, quum ille non

non neſciens Præfectum, ſeu Baſſam, pro ſuo ſolemni cum aliis, penès quos eſt Supremum Regimen (Mufti Morabous, & Bais nuncupatis) ad Divanum, ſeu Mahometicam Synagogam profectos, ibidèmque congregatos impiis vacare ſacris, imperterrito animo ſeſe memorato Baſſæ, cæteriſque ibidèm in unum collectis, obtulit, altùm vociferatus ſe non Turcam, ſed verum Chriſtianum eſſe & Catholicum, addens inſuper ſectam Mahometanam à falſitate, & impietate nihil diſtare, & tam ipſum Baſſam, quàm cæteros ibidem coadunatos, & origine Turcas, & à fide apoſtatas (quos interim hinc indè fixis contuebatur oculis) ſuppliciis addicendos æternis, ni ſeſe Chriſtianis Sacris devoverent, & in noſtram jurarent religionem. Quò verò verba factis meliùs comprobaret, ſeque execrandam illam ſectam ex corde deteſtari oſtenderet, mitram quam geſtant Turcæ (Turbant vulgò dici-

 tur)

tur) proprio capiti detraxit, & in terram abjectam pedibus conculcavit, inſupèr depoſito quo gentis in morem pallio utebatur, monaſticum cucullum induit, fuitque genuino, & vero ſui Ordinis habitu inſignitus, tum productam foras (quam ſub religioſa veſte tenebat aſſervatam Salvatoris noſtri Crucifixi imaginem) elatâ clarâque voce, animi ſuì ſenſa patefaciens, ſe optare plurimùm dixit, ejuſdem amoris ergò vitam ponere, qui ſui causâ in crucis ligno vitæ ſuę minimè peperciſſet: dein miſsâ in ſaccum manu, extractis, quos adhuc habebat, duobus (uti noſtrates vocant) imperialibus, & coram dicto Baſſa in terram ad pedes jactis, ipſum inſtantiſſimè oravit, ut ſi forſitan ob iſtam Chriſti confeſſionem flammis perdi deberet, hoc argento lignis coëmptis, pyram vellet conſtruere luculentam. Hæſit ad hæc Tyrannus, ſui impos aliquandiù effectus, & attonito ſimilis. Paulò tamen poſt in
ſe

ſe reverſus, cępit ALIPIUM verbis demulcere blandis, ſperans fore, ut à propoſito reſiliret, & ſemel ejuratam olim Chriſti fidem æternùm abominaretur, quare pacato vultu hæc duo ab ALIPIO percontatus eſt, an ſcilicet Turcarum quiſpiam fortaſſis ipſi quid damni, malive intuliſſet; an verò talia in tali conſeſſu auſus, quod nemo ſanæ mentis attentaret, ipſe deliquium rationis pateretur? cui conſtanter ALIPIUS reſpondit, neutrum horum ſibi contigiſſe, & Tnrcas culpâ carere, & ſibi inconcuſſam ab omni perturbatione, deliquioque mentem conſtare: ſed hæc agere vi veritatis compulſum, quâ adactus non potuerit non ore fateri, quod animo conceptum geſſiſſet, itaque ſolam Chriſti fidem, unicum eſſe, & ſolum æternæ ſalutis medium, & neceſſarium perfugii portum. His dictis ad Apoſtatas, Chriſtianæque fidei deſertores circumſtantes ferventiſſimè peroravit, eos graviter hortatus, ut

ad Chriſti veri Dei cultum proximè repedarent, Sanctam Religionem noſtratem repeterent, in his præeuntem ſe Ducem ſequerentur, Deoque Optimo Maximo reconciliari pro viribus ſatagerent, certi, ni hoc capiant conſilii æviterna Stygis incendia, indubiamque perditionem à morte ſubituros.

§. VII.

EXarſit ergo his auditis ſuprà modum Tyrannus, blanditiiſque in furorem verſis, juſſit in virum Dei ferrum ſtringi, brachia & crura convelli, ſicque ſeminecem flammis iniici exurendum. At cùm latam ſententiam qui aderant miniſtri exequi arderent, primarius Aſſeſſor (quem Mufti Turcæ dicunt) memorato Tyranno ſuggeſſit minimè expedire Alipium tam citò neci dedere, conſultiùs eſſe decretam pœnam differre tantiſpèr, donèc errorem Alipius forſan agnoſceret, agnitumque revo-

vocaret, interim remittendum ad carceris pedorem, ubi inter viliora Chriſtianorum mancipia vinculis detineretur, quò aliam mentem indueret. Arriſit Tyranno Viri ſententia, juſſitque eam protinus executioni mandari, & ALIPIUM, in vincula abripi. Vix fortiſſimus Chriſti pugil ingreſſus erat carceres, cùm concurrêre ad eum numeroſiſſimi, & qui Sectam Mahometi, cum aëre, nati hauſerunt, & qui fœdiſſimè abjuratâ Chriſtianâ fide, eandem ſunt amplexi, quibus omnibus unus propoſitus fuit ſcopus, ut Athletæ generoſo in Turciſmo perſuaderent conſtantiam, & factæ anteà revocationis Chriſtianæ fidei pertinaciam, quatenus iras ferocientis Baſſæ effugeret, & parata ſibi tormenta prudenter (ſi Diis placet) declinaret: ſed nec quicquam agebant, dixiſſes illos aut littus araſſe, aut in mare ſementum jeciſſe; conſtans enim & fervens propoſitum ALIPII, oppugnari quidem potuit,

ſed non expugnari: admovebantur machinæ, ſed animum Herois ne pilum movebant, imò hoc actum, ut Vir Dei in præſentem concionem verba Spiritu Divino plena funderet, opportunè importunè converſionem ſuaderet: & ſi poſſet etiam perſuaderet: quæ res ità cunctos perculit, ut ipſorum non pauci, ne acrioribus animi ſtimulis moderentur, demiſsâ cervice in confuſionem & pudorē acti, & nec verbulū hiſcere auſi diſceſſerint.

§. VIII.

NOn latuit Tyrannum Alipii generoſus, & excelſus animus, undè pavore correptus, ne, quod fieri poterat, & ſuſpicabatur, verbis ejus auditores ſæpius pulſati, vacillarent, & fortè qui conſortes abnegationis fidei fuerant, Socii converſionis efficerentur, nèc tàm errorem præteritum attenderent, quàm ad futuram pœnitudinem exemplo reſipiſcentis Alipii diſponerentur, dedit in man-

mandatis Baſſa, fortè horâ à priore ſententia elapsâ, ut omni abjectâ dilatione primum mortis decretum in executionem deduceretur, & ALIPIUS, confractis brachiis & cruribus, in rogum ardentem, flammarum eſca futurus, coniiceretur. Dictum factum. Eductus ergò tetro fœtidoque ergaſtulo frequentiſſimâ concurrente omnis ſexûs & ordinis turbâ, ad forum primarium Urbis Tripolitanæ ſub arce ſitum, operâ barbarorum tractus fuit: ibi dùm crus illi unum vecte confractum crudelitèr fuiſſet, Neoptolemus noſter nihil aliud in ore habere viſus, quàm ſuaviſſima JESU, MARIÆ, & D. Catharinæ Virg. nomina, hìnc ſentiens ſibi pedem jam alterum inutilem, alium quoque placido ac ſereno vultu ad exemplum Archi-Martyris Laurentii intrepidè extendit, commonens lictores, ut idem ſine morâ præſtarent, quod, & factum. Nec alia ratio fuit rumpendi utriuſque brachii; quæ conſtantia

patientis inſolitum generabat animis intuentium ſtuporem.

§. IX.

SEd non fuit hic laborum, aut cruciatuum Alipii meta. Sævi illum & ſanguinarii miniſtri ſic affectum foras extrà civitatem per portam Meſſiam nuncupatam pertraxêre, eâ crudelitate, quæ tales decebat; uno enim pede, ſolis nervis & cute corpori quaſſo adhuc hærente, eum alligantes, per ſaxa graviter alliſo capite, undè largus cruor vias purpurabat, raptarunt: cui inhumanitati & illa acceſſit, quæ petulantem puerorum turbam & infimæ plebis fæcem grandine lapidum armabat, ut in corpus raptati Alipii crebris jactibus ſæviret. Credebat fera carnificum manus antè portam ſtruem lignorum ignitam adeſſe, cui ſervum Dei imponeret, eumque extremo afficeret ſupplicio: at cùm flammas non reperiſſet, ſtatuit Alipium undis, (mare enim

enim vicinum æſtuabat) haurire. Ergò projectum Neptuno conſecrarunt impii, ut ille tenuis vitæ reliquias penitùs ſorberet: At aliter Deo diſponente ceſſit, quàm ſibi promittebat impietas. Negavit ſibi eſcam hanc deberi mare, nec Martyrem intrà viſcera hauſit, vel ipſis hominibus humaniùs. Tum cernere fuit inter marinos fluctus caput ſacrum oculis Cœlo fixis eminere, os hilari voce Sanctiſſima Jesu & Mariæ nomina repetito ingeminare, nec Divæ ſuæ Advocatæ Virginis Catharinæ obliviſci, donèc undæ pretioſum hunc theſaurum, meliori loco, quàm ferebantur eſſe, deponerent.

§. X.

SUſcepit littus in ſuas ulnas ejectum Alipium, quo viſo Barbari, qui præſentes præſtolabantur exitum rei, mirum quàm exarſerint, ergo alii gladiis, frameis alii, punctim & cæſim irruunt in illum, piam animam è mor-

è mortali tabernaculo certatìm exturbare nitentes, ſed in caſſum, cerea videbantur Barbarorum arma, ferreum ALIPII corpus: ità nullo vulnere, læſione nullâ ſignari potuit, abſque dubio retundente aciem ferri D. Virgine Catharinâ, cujus imagine ſervus Chriſti armatus fuerat. Inter omnes ictus Martyri impactos unicus eſſe videbatur notabilior, qui in ipſam ſacram iconem incidit, hoc ſolo damno illato, quod illam tantiſper raſiſſet.

§. XI.

NEc tamèn ob hæc miracula impotens malitia ab impietate ſuâ deſtitit, imò magis quodammodo irritata, ad ſaxea tela confugiens, magnâ vi lapidum obruere Virum DEI, & tandèm eum vitâ exuere conabatur, quod paulò poſt effectum. Tantus enim turbo ſaxorum, & tam vehementèr illum concuſſit, ut Spiritum

cum ſuum ALIPIUS in manus ſui Creatoris reddiderit. Teſtimonia plurima aderant feliciſſimi obitûs, qui ipſi obtigit hora 19. illis ultimis verbis prolatis: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, & hic fuit glorioſus fortunatiſſimi noſtri ALIPII exitus.

§. XII.

SEd quid non mortalia pectora, cogis ſanguinis atra fames? Mortuo illo, & ad Superos quorum certamina graviter fuerat æmulatus aſſumpto, ſæviſſima illa rabies, necdum ſe exſatiatam rata, in extinctum corpus etiam deſævire voluit: hinc non unus faſces lignorum, ac virgultorum coëmere, quo cadaver in cineres abiret, parabat. Ergò in Vulcani flammeam congeriem injectus exanimis ALIPIUS, quanquam reſiduum illius diei in eâ jaceret, flammæque voraces ligna omnia penè abſum-

ſumpſiſſent, corpori tamèn parùm noxæ attulêre, major enim illius portio illæſa intactaque ab igne permanſit. Quod ubi barbariem advertit, in tanti prodigii luce, ut anteà caligans, ſacra lypſana quibus flamma pepercit, foras protracta, ludibriosè procul abripuit, quò canibus in pabulum cederent. Sed & hic fraudatam ſe eſſe meritò ſenſit: Deus enim, cujus unius gratiâ, tot ac tantas pœnas generosè exhauſerat Alipius, non ſivit ipſum prædam pudendam fieri canum; imò quo oblatum ſibi ab illo ſacrificium gratiſſimum eſſe demonſtraret, luculento prodigio teſtatum voluit, ipſi enim barbari fœda Mahometis mancipia palàm edixere ſe eo loci, quo Martyris cadaver flammis traditum fuerat, tres faces collucentes per triduum ab umbilico noctis uſque ad diei ortum intuitos: ità ut Baſſa digitum imponere labello juſſerit, ne publicato hoc portento gravi pudore, & rubore notaretur.

§. XIII.

§. XIII.

POſterâ dehìnc luce concurrere certatìm Chriſticolæ ſacras Reliquias Martyris veſtigaturi, lecturi, & quâ par erat reverentiâ ſervaturi. Sed inter omnes Mautonius ille, cujus ſuprà meminimus, & cui Frater ALIPIus antè certamen majorem earum partem à morte ſua fuerat pollicitus, quâ potuit diligentiâ ſociis adjunctis ſedulò veſtigavit, locis tamèn in illis, quibus non apparebat eas facilè poſſe reperiri. Attamèn DEUS promiſſionem ALIPII ſartam tectam cupiens, barbarum quemdam ipſi Mautonio ſubmiſit, qui ſi aliquo donativo bearetur, ſpopondit ſe locum ubi Reliquiæ Alipianæ eſſent, indicaturum. Nec mora. Vir Chriſtianus tanti theſauri cupidus, manu loculis admotâ argentum eduxit, & 40. nummos (aſpros aut aſprinos vocant) barbaro lubens, volens, dedit, à quo mox ad quendam puteum, ubi oſ-

ſa

ſa ALIPII noverat fuiſſe injecta, deductus, diligentèr locum inſpiciebat: intereà Maurus ad deſcenſum paratus, adjuvante Mautonio, ſeſe intrò demiſit, & omnes putei angulos avidè luſtrans, nihil penitùs horum, quę reperturum ſe credebat, invenit: quod immodicum ſtuporem barbaro incuſſit, ità ut præ pudore de reſtituendâ Chriſtiano pecuniâ cogitationes volveret, quam tamen Mauton recuſavit, ſatis fęlicem ſe arbitrans, quod in tali cauſa, & tantæ rei gratia eas expendiſſet.

§. XIV.

QUid igitur hic uterque? imò quid ſolus Mauto? non abjecit animum, nec ſpe excidit, ſed oculos ablegans ad omnes partes, viſus eſt ſibi coràm videre parvam ſemitam, quam viridantes herbæ allambebant, & floridam reddebant: ergò illam iniens, duo millia paſſuum

emen-

emenſus, incidit in quendam amœniſſimum hortum (Tempe aut deliciarum Paradiſum iurâſſes) ubi tot votis optata, & quæſita oſſa ſervi Dei reperit, & fœliciter ſecum abſtulit. Sed vide miraculum ulterius: poſtquam Mautonius ſacrum theſaurum non minùs decentèr quàm diligentèr conſervaviſſet, inceſſit eum cupido, locum illum tot Floræ gratiis vernantem, cum quodam amico ſuo repetendi: at eccè tibi, dum omni adhibitâ diligentiâ callem, quo in hortum illum amœnum delatus fuerat, quæſiiſſet, nuſquam vel minimum veſtigium, aut ſemitæ, aut viæ, aut horti, licet paulò antè ea omnia pedibus ſuis triviſſet, deprehendere potuit.

§. XV.

Captivi Chriſtiani precibus Mautonium tantùm non mactabant, ut conſervando illi theſauro cœleſti omnes nervos intenderet, pollicentes

tes ſibi ob merita Viri DEI omne auxilium vincula evadendi barbarica, & ad Patriam Chriſtianam poſtliminio revertendi. Pater Pacificus, qui Converſionis Author, & ALIPIO fuit à ſacris Confeſſionibus, uno ditatus brachio, unà cum manu, gratias agit Numini de munere hoc ſibi cœlitùs conceſſo. Cuidam Stephano, cognomento de Pino, aurigæ navigiorum, in orâ Genuenſi maritimo tunc temporis iis in plagis commoranti, qui ALIPIO Effigiem Salvatoris è cruce penduli ad certamen ituro, velut quoddam inſigne labarum in ſignum victricis palmæ palmis inſervit, Cor, membrum corporis princeps, juxta prædictionem & promiſſionem Viri DEI, obtigit. Vates enìm fuerat ALIPIUS cor ſuum pyrauſtam fore, atquè illibatum à flammarum morſu, Stephano Genuenſi nautæ, pro conceſſa icone Crucifixi, mercedis loco deberi: quod Stephanus cuidam Patri Capuccino, cognomine Sambucetto, ſuo

con-

conſanguineo, & hic Patri Angelo Mariæ Oduardo è familia D. Auguſtini Congregationis Lombardicæ dono dedit, illudque cum aliis ejuſdem Reliquiis in Metropoli Liguriæ hodiernâ die intactum conſervatur. Cæteri Chriſtianorum, vel micis Alipianis contenti, beatos ſeſe, ac felices autumant, ſibique invicèm, laudantes Deum, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis, animitùs congratulantur.

§. XVI.

ANnos antè aliquot Eccleſiaſtes quidam, è cœtu illorum, qui rigidiorem vitæ formam, ſub norma Seraphici Franciſci (à productiore capitis tegumento Capuccini dicti) ſequuntur, in urbe Siciliæ Palma è ſuggeſtu ſacra verba faciens, inter cętera protulit, eſſe impoſſibile eam civitatem, ſartam tectam conſervari, niſi aliquibus Sanctorum exuviis,

quorum illa non minimâ laborabat inopiâ, muniretur. Et ecce tibi biduò poſt delata fuit navis quædam Tripolitana ex Barbaria, tempeſtate & furente vi ventorum, in portum prædictæ urbis acta (haud dubiè non abſque ſingulari Numinis providentia, quæ imperat ventis & mari. *Matth.*8.) quàm mox cum pro more non ſegniter Præfecti portûs perluſtraſſent, Chriſtianorum mancipia in eà reperêre, & quia tempus minùs opportunum, ob cœlum turbidum & fremens procellis æquor ulteriori navigationi obſtabat, coacti ſunt homines illi dierum aliquot ſpatio ſupra memorato Palmenſi portu quieti conſidere, donec ſalo ſua malacia, & cœlo ſua rediret ſerenitas: quâ comparente, ventoque ſimul proſpero adſpirante, dantes vela Favoniis, manuſque applicantes remis, viribus totis incubuêre ſolvendæ è portu navi, ſed fruſtrà omnia: quod ubi iterum, & tertiò conantur ſemper irritum

tum ſuum conatum deprehendunt: quæ res prodigii loco habita, Dynaſtam urbis, cùm ad aures ejus perveniſſet, foras excivit, qui ex nautis, quam remoram hocce loci paterentur, quærens, hoc ab eis retulit, ignorare ſe utique, & quamvis & venti & undæ faveant, non poſſe tamèn ter conatos vel hilum proficere: ergò neceſſe eſt, inquit Dux, quidpiam navi ineſſe, quod eam tantâ vi detineat. Eja agite, & omnia quæ intus ſunt evolvite, ſi fortaſſis liceat cauſam deprehendere inſoliti casûs. Dictum, factum: cùm enim velivolam machinam, in frequentia populi non contemnenda, funditùs exonerâſſent, apparuit inter alia ciſtella quædam probè occluſa, & quum Dux interrogâſſet, quid in ea latitaret, nautis diù obnitentibus rem propalare, reſcivit tandem eſſe ſacra oſſa Vener. Fr. Alipii à S. Joſepho, Auguſtiniani Diſcalceati, qui abhinc aliquot annis in urbe Tripoli fuit pro Chriſti Fide

diro martyrio affectus. Tum Dux, eccè inquit cauſam veſtri hinc impediti diſceſsûs, credite igitur, vobiſq; perſuadete, DEUM Opt. Max. omninò velle hoc theſauro noſtram urbem ditare; & quamvis nautæ minimè Duci aſſentiri vellent, ille tamen vel invitis, quod voluit, extorſit. At quia pondus & authoritas publica rei tantæ defuiſſe videbatur, nautæ juramento adſtricti legitimo, candidè teſtati ſunt, quod anteà ſimpliciter faſſi fuerant. Acceſſit huic jurato teſtimonio cœlitùs editum miraculum; occupatis enim in præſtanda atteſtatione viris, adfuit orbus quidam anteà luminibus, qui in conferta turba, voce elata in hæc verba prorupit: Domini, inquit, noſtis me veniſſe ad littus cœcum, & ecce nunc tenebris oculorum pulſis, grato fruor lumine. Quâ re ad trutinam judicii expensâ, fuit compertum, cæcum hunc fortè fortuna genubus attigiſſe capſam Reliquiarum Alipiana-

narum: quod miro & inſolito gaudio, tam cives, quàm captivos Chriſtianos plurimùm affecit. Paulò verò poſt apparuit alia navis ex eodem Tripolitano oppido, plena itidem captivis Chriſto addictis, qui ſimiliter à Duce in examen vocati, firmiter aſſeruêre, quicquid circa has Reliquias ab iis fuerat petitum, eaſque verè eſſe, quarum Dominus Mautonius (de quo alibi) mirus repertor, legitimuſque poſſeſſor hucuſque extitit, nunc autem poſſeſſionem earum in Ducem Palmenſem non invitus recenti miraculo invitatus, pleno jure tranſtulit.

Adm. Rev. P. Don Carolus de Thomaſis, è Contubernio Clericorum Regularium, quos Theatinos vocant, Frater germanus Ducis Palmenſis, Siciliâ Romam appulſus, eo propoſito, ut apud Sedem Apoſtolicam pro Beatificatione noſtri Alipii impigrè deſudaret, aut ſaltem ut eidem Servo Dei publicam & ſolemnem declarationem ſui Martyrii con-

ciliaret, enarrat quid ſibi miri contigerit. Nam ignarus adhuc miraculi proximè expoſiti Palmę apud Ducem ſuum fratrem, exarſit ferventiſſimo devotionis æſtu erga Alipium, ſimulque vehementiſſimi deſiderii concepit flammam, conſequendi aliquam portionem vel fruſtillum ejus ſacrarum reliquiarum: ſed quî ſuis votis ſatisfieret, haud ſatis diſpiciebat: ecquid porrò ageret? indubiè Deum orabat, nec in vanum; adfuit oranti non ſurdâ aure Deus. Ergò unâ dierum acceſſit ad fores domûs religioſę, in qua morabatur P. Carolus, quidam Vir, petens prædictum Patrem, nautæ habitu, ſed adeò attrito & lacero, tamque luridâ oris ſpecie, ut Janitor ſibi duxerit Religioni, talem Patrem ad hujuſmodi teruncii homulum evocare: ſuſpicabatur enim latere anguem in herba, vilemque lavernionem fortaſſis ſuffultum malitiâ, fraudiſque figulum alicui prædæ inhiare, aut prandiolo. Nauta videns

P.

P. Carolum non comparere, inſtitit, urſit quâ potuit prece, nullo ſibi ajens opus eſſe, ſolùm ſi P. Carolum in conſpectu habeat, cui non minimi momenti negotium pandere deberet, quod & ſuâ ipſius maximè intereſſet. Advenienti igitur P. Carolo, homo ille partem non contemnendam pignoris ſacri ex corpore Servi DEI ALIPII porrexit, oppidoque ſe indè (nec petens congiarium, nec à quo vel undè miſſus eſſet indicans) ocyor Euro & Noto proripuit. Quid hic Pater? ad inexpectatum munus extra mentis alveum abſorptus obriguit, ſed & præ gaudio optatiſſimæ portiunculæ, vix in officio continere potens oculorum fontes, ne calenti imbre perpluerent ſubjectam faciem, debitas ſupremo bonorum omnium largitori grates impensè egit, & beata analecta diſſuaviatus, centiès intimo pectori appreſſit.

Refert Adm. Rev. P. Don Carolus

de Thomaſis, de quo ſuprà, brachia Vener. ALIPII delata fuiſſe ad inſulam Melitenſem, & quia non admodum honorificè ibi haberentur, mutus quidam accedens locum, quo condita fuerant ſacra Lypſana, uſu vocis per miraculum reddito, cœpit ALIPIUM Martyrem palàm deprædicare: Nimirum qui loqui debuerant, & in laudes Martyris linguas ſolvere, elingues facti ſunt, quod tamen abundè compenſavit mutus, dum mutuam operam Melitenſibus in prædicatione ALIPII præſtitit.

P. Joſephus à S. Valeriano, noſtræ Congregationis Sacerdos, aſſerit veniſſe ad ſe Catharinam uxorem Franciſci Minuti, in oppido *Rechi*, quæ dolore lacrymiſque madens, filium infantem, tabe validâ ac lethali affectum, mortique vicinum offerens, ſi quid opis eſſet, morienti puero ut exhiberetur, enixè rogavit. Prædictus Pater non alio remedio, quàm Reliquiis

quiis ALIPIANIS uſus, infantem è faucibus lethi ita eripuit, ut ſequenti mane nulla in eo morbi veſtigia apparerent.

ET hæc ſunt quæ excerpſimus aliundè, ſed maximè ex relatione in compendium redactâ R. P. Pacifici, Miſſionarii Apoſtolici Tripoli in Barbaria, ad S. Congregationem de Propaganda Fide Romam miſsâ, coram SS. Dño, & ab eodem ad Sacr. Congregationem Rituum, pro formando proceſſu remiſsâ. Damus autem luci publicæ, ut animi fidelium ad Divinum Amorem excitentur, ſtantes in ſuis propoſitis firmentur, cadentes animis erigantur, opera DEI mirabilia, ut decet æſtimentur, & tandem gloria Divina, ubique, & ab omnibus propagetur. Non intendentes tamen huic relationi adhiberi Fidem aliam, quàm humanam ſimplicis hiſtoriæ, juxtà decreta SS. Sedis Apoſtolicæ, cui nos in omnibus

bus debitè ſubmittimus : ſperantes ab ea brevi decernendos ſolemnes honores , huic noſtro invicto Heroi ALIPIO.

CAR-

Digitized by Google

CARMEN ELEGIACUM

ejuſdem argumenti,

VENERABILEM FRATREM

A L I P I U M

à S. JOSEPHO,

Congregationis F. F. Diſcalceatorum S. Auguſtini Italiæ, in victorioſo pro fide prælio Tripoli in Barbaria facto, conſtitutum canens.

SPlendidus auratos lunetur Olympus in arcus,
  Aſtraque compoſitâ mole coloſſon agant.
Pande triumphales cœleſtis pompa quadrigas,
  Et ſtrue conjunctis laurea ſerta roſis.
Plaudite ſydereo reſidentes culmine cives,
  Plaude ſimul ſuperi blande Phonaſce chori.
Tuque perennantis Dux AUGUSTINE Senatûs;
  Incipe voce hilares ingeminare ſonos.
Vicit io! vicit nam noſter ALIPIUS hoſtes,
  Amplaque tranſacto Marte trophæa tulit,
Victus erat: ſed mox meliori robore fultus,
  Quàm citò victus erat, tàm citò victor erat.
Damno ſunt aliis ſimiles fortaſſe ruinæ,
  Aſt huic in ſtimulum facta ruina fuit.
Nam poſtquam pectus divinum flamen aduſſit,
  Sic ſibi (nec ſine ſe) penè peremptus ait:

Oc-

Occidimus (*a*) frater ſi tardas, ſit niſi tempus
Purgando ſceleri longius : occidimus.
Heus te! pro Chriſto quàm parvus miles in armis
Exiteras, poſthac major inermis eris.
Ibo, ibo atque novo renovabo prælia Marte,
Ad pugnas jam me fortior urget amor.
Barbarus inſultet CHRISTO? me vincat? ad imam
Deflendo lapſu me trahat uſque ſtygem;
O ſuperi prohibete ſcelus! nova bella parabo,
Et veterem lapsûs emaculabo notam.
Erige terribiles furibunde Tyranne cataſtas,
Prome enſes, cultros ingere, tela para.
Hos omnes contra ferrique iræque furores
Ibo, & quæ nequeo vincere, vincet amor.
Non enſes vereor, Scythicæ neque tela pharetræ,
Dura nec infenſis ſpicula juncta minis.
Audacem juſti nam me fecère dolores,
Peccatum pœna eſt, præmia morte feram.
Eja mihi roſei venis properate cruores.
Hæc noſtrum certò diluet unda ſcelus.
Sic Moriens oriar, nece preſſus naſcar in aſtris,
Martyrio lethi pabula lætus emam.
Vita immortalis jubet ipſam perdere vitam,
Vita inimica hæc eſt, mors ſit amica mihi.
Ite oculi in lachrymas: ſic duplice fonte lavabor,
Sic lachrymæ & ſanguis balnea bina ſtruent.
His (*b*) ità conceptis: Heros generoſus ad amplam
Bellorum orcheſtram nil remoratus abit.
Martia tela procul, procul enſes, & procul haſtæ,
Talia ſunt timidis arma petenda viris.

Solà

(a) *ſe ipſum alloquitur & exhortatur Alipius.*
(b) *ad Moſcheam ſeu Turcicum fanum, ubi ſolemnitas quædam agebatur, abit.*

Solà (*c*) divinum circumdatur icone pectus,
  Quà CATHARINA ſuas pinxerat alma genas.
Fertque crucem dextrà, ponit cervice cucullum,
  Cincturà ſacrà veſtit utrumque latus.
Sic demum armatus ſubit intima fana: profano
  Dum populus cultu feſta parare ſtudet.
Et (*d*) mox: heus (inquit) quid credis Barbare Princeps
  Necdum me ſceleris pœnituiſſe mei?
Falleris, æternùm ſi poſt mihi vita daretur,
  Hic foret æternus pœnituiſſe labor.
Chriſtiadum gentem quo transfuga corde reliqui,
  Rurſus corde iſto, vel meliore colo.
Qudquid habet legum Mahometi ſecta nefanda,
  Execror, & ſolum CHRISTUM ego noſco DEUM.
En (*e*) tibi funeſtam quam geſſi vertice mitram,
  Pro galea in pugnis iſte cucullus erit.
Et (*f*) ſimul hæc noſtris aufer data tegmina membris,
  Non tegitur ſimili ſindone nudus amor.
En (*g*) quoque perfidiæ pretium: tibi ſerviat aurum,
  Lex AUGUSTINI ferre metalla vetat.
Nudus eram, vixi ſine nummis, vivere ſpero,
  Aut ſi non poſſim vivere, ſpero mori.
Si (*h*) tamen iſta parat ſervire pecunia nobis,
  Lignorum faſcem, quo cremer, illa paret.
Denique quod dederas modo reddo fideliter omne,
  Nec tibi, ſed CHRISTO poſtmodò ſervus ero.
Dixit, & attonitis cùm dicere plura pararet,
  Obſtiterant rigidi talia verba viri.

Quis

(c) *armat pectus imagine S. Catharinæ V. M.* (d) *alloquitur Baſſam ſeu Præfectum urbis*. (e) *ſpoliat ſe pileo Turcico*. (f) *& habitu profano*. (g) *pecuniam reddit*. (h) *cupit pro ea ligna comparari ad ſe comburendum*.

Quis (*i*) ſtupor ? aut qualis mentem dementia turbat?
  Quænam deliræ ſomnia fingis anus?
Ni tuus inſani capitis furor agnitus eſſet,
  Vaſtaſſet pridem noſtra machæra ſinus.
Quare age, divinum Mahometi numen adora,
  Et rabida ſolidos mente repelle jocos.
Excelſum ſolium tibi gratia noſtra parabit,
  Nec ſatis eſt ſemper magna parare volet.
Sin verò noſtri contemnis vota favoris,
  Iſta tibi meriti vota furoris habe.
Ibunt (*K*) cum reliquis peſſum tua brachia membris,
  Vecteque frangentur crura, pedeſque tui.
Poſteà conjectis paſcentur ab ignibus artus,
  Aut paſcent rabidos carne recente canes.
Fortunatum (*l*) me! reſpondet ALIPIUS, eja!
  Eja catenatas rumpe Tyranne moras!
Nulla meam fallax vexat dementia mentem,
  Tunc demens fueram, cùm tibi promptus eram.
Jam ſapio, jam me CHRISTUS Sapientia Patris,
  Credere vera docet, deſipuiſſe vetat.
Urar, nam CHRISTI ſum victima, corpore rumpar,
  Hac rupturà animus liber ad aſtra ruet.
Frange manus vectis, non tendam brachia cœlo
  Amplius, in cœlis quippe colonus ero.
Frangite tela pedes, pedibus ſine ſidera adibo,
  Si deſint paſſus alitis inſtar ero:
Atque volabo celer; rape pondera corporis eja!
  Eja catenatas rumpe Tyranne moras.
Longa mora eſt,quæcumq; mora eſt, quid barbare ceſſas?
  Men'vis ante ignes igneo amore mori?

Dum

(i) *incipit Præfectus loqui.*
(K) *minatur tormenta.*
(l) *Reſpondet* Alipius *cum lætitia.*

Digitized by Google

Dum moror heu morior! vivo tormenta parentur,
Ut patiar vivens, accelera, accelera.
Hæc ubi dicta dedit, quis credat quanta furorum
Copia, vel quantus ſtridor ubique fuit?
Barbarus in tumidas totus convertitur iras,
Cunctaque cum Domino plebs maleſana furit.
Expedit immitis crudelia verbera lictor,
Sanguineiſque animis arma ſatelles alit.
Attamen ante oculos prius omnes ponere certant,
Divitiaſque ſoli, deliciaſque ſali.
Et blando varios deſtillant ore ſuſurros,
Milleque cum pompis pollicitantur opes.
Is verò ſuperos dum pergit amare decores,
Nec niſi parta Dei ſanguine regna cupit.
Sternitur (*m*) in media populis ſpectantibus urbe,
Et manus una gravi vulnere cæſa perit.
Porrigit ille aliam, ſed & hæc confringitur: & dum
Pes cadit ictu unus, porrigit ille alium.
Sic conquaſſatus fixis obtutibus aſtra
Spectat, & o JESUS! oque MARIA! vocat.
Auſpice nam JESU bellum inchoat, auſpice finit,
Velle MARIA dedit, vincere poſſe dabit.
En paradiſiaco quatuor de corpore manant,
Bina fluenta manu, bina fluenta pede.
His lymphis extingue ſitim, quam turba ſitiſti,
Prodigus eſt dandis potibus iſte tibi.
Nec magis ardentes ſuccendas corde furores,
Hæc malè congeſtos temperet unda rogos.
Sed fruſtrà: creſcunt irarum ſemina turbis,
Hinc fune immani corpus inerme ligant.

Et

(m) *Franguntur* Alipio *vectè bracbia & pedes, ipſo ſemper unum poſt alterum porrigente.*

Et ſic extra urbem per inhoſpita ſaxa trahendo,
Conquaſſant plagis vulneribuſque caput.
Ad mare (*n*) cum ventum, crudeli turbine membra
Mergenda immenſis præcipitantur aquis.
Aſt, ò rem miram! pelago bis merſa profundo,
Bis motu proprio littora ſicca petunt.
Nec motus manuum fuit hìc, nam brachia quaſſa,
Et ſimili affecti ſorte fuère pedes.
Cœlum ergò, fixo quod ſemper lumine vidit,
Iſtius motùs cauſa, DEUSQUE fuit.
Qui licet & pontum, licet aſpera cuncta domarint,
Non tamen humanas dedomuere manus.
Illæ iterum ſacros lacerati corporis artus,
Ad nova ſanguineo prælia Marte vocant.
Differt oblatam neque CHRISTI miles arenam,
Armat cui ſemper viſcera fortis amor.
Ergo (*o*) tranſadigunt ſævit ſacra pectora cultris,
Lethaleſque ictus non ſemel ingeminant.
Quanquam dum lædunt ludunt, curvatur in arcùm,
Ferri acies, duro cor adamante riget.
Icone quippè ſuà ſervat CATHARINA clientem,
Nec patitur tali parte nocere ſibi.
Sed (*p*) quid barbaries? lapides rapit, & lapidum vi,
Obruit innocui membra ter alma viri.
Sic (*q*) demùm invictam mentem tranſmittit ad aſtra,
Hi corpus ſaxis dum cumulant, tumulant.
Imò (*r*) ſcelus talem nec vult concedere tumbam,
Sed calidum ſubità conſtruit arte rogum:

Im-

(n) *præcipitatur in mare, ſed idem ſemper adnatat littori, vultu continuo in cœlum fixo.* (o) *ceditur cultris & gladiis, ſed in caſſum.* (p) *lapidibus obruitur.* (q) *& moritur ſub ſaxorum grandine.* (r) *extrahitur è lapidum cumulo, & in rogũ ardentẽ coniicitur, nec ibi conſumitur.*

Impoſitoſque artus igni conſumere tentat,
  Mitis at impoſitis artubus ignis erat.
Tandem (ſ) protractum trepidante cadaver ab igne,
  Abiicit, ut canibus ſit cibus atque lupis,
Aſt ubi nec potuit ſua ſic attingere vota
  Impietas, ſcelus eſt præmeditata novum.
In (t) ſicci putei vaſtum ſine gurgite fundum,
  Invicti CHRISTI militis oſſa jacit.
Verùm quid Superis homines obſiſtere poſſint?
  Ignarum ne putant reddere velle DEUM?
Dum (u) cęlant homines, mundo DEUS ipſe revelat
  De puteo, in terræ florida prata levans.
Nempè AUGUSTINI noviter roſa condita, campos
  Plenaque flore novo prata & aprica cupit.
Huc (x) ſibi devotum deducit ſemita quendam
  (Semita poſt nullis invenienda modis)
Omnia qui ſpernens florum viridaria: ſolùm
  Hanc benè purpuream ſuſtulit inde Roſam.
Sic vitæ finem, ſic victà morte triumphos,
  Cælorum poſitus culmine victor habet.
Sic pœnas fortis guſtavit ALIPIUS omnes,
  Olim Martyribus quas fera jura dabant.
Undas Clementis, tua Martia tela Sebaſte,
  Paule enſes, cultros Bartholomæe tuos.
Quot Stephanus lapides, & quos Laurentius ignes,
  Invictis humeris detulit, iſte tulit.
O felix lapſus! poſt quem ſic ſurgitur aſtris,
  O crimen ſtimulans! culpa decus pariens!

O

(ſ) *deponitur è rogo, & canibus eſca proiicitur.* (t) *deinde in puteum ſeu ciſternam veterem.* (u) *hinc miraculosè ejus corpus translatum eſt in quendam locum floridum.* (x) *ibi invenitur à quodam Chriſtiano, cui ſervus Dei ſuas reliquias promiſit.*

O DEUS! o quantis tua gratia caſibus obſtat!
Quamque paterno omnes ſtringis amate ſinu!
Quis de te (ſcelerum turpi licet actus abyſſo)
Ambigat, ò animis vera medela meis:
Ad Styga projectus, modo calcat ſydera plantis,
Angelicoſque ſubit poſt Acheronta choros.
Fella hauſit, modo mella, prius truculenta venena,
Nunc mera commixto nectare vina bibit.
Quoſque olim texit pannoſus cento lacertos,
Hos tegit æthereis purpura pota cadis.
Pro lapidum cumulò conſurgunt vertice gemmæ,
Proque datis plagis fronte corolla nitet.
Ite animi, precor, ite, ſtygis quos ſæva Tyrannis
Immani tractu ſub juga dura vocat.
Placatum Cœlum eſt, DEUS optimus in cruce pandit
Brachia, placantem vult retinere reum.
O felix ter Serve DEI! convincis ALIPI,
Eſſe *pium* Numen nomine nonne tuo?
Crederis haud gratis nam dictus ALIPIUS, ecce
Ex non ante *pio*, factus es inde *pius*.

AD URBEM PALMAM.

Quo Sacræ Reliquiæ Venerabilis ALIPII mirabiliter fuêre delatæ.

RECtè felicem, fortunatamque per orbem,
Teque cuique urbi dixero Palma parem.
Inferior ſoli Romæ potes eſſe videri,
Quæ tot Relliquiis dicitur Alma ſacris.
Nil tamen invideas, te reddit ALIPIUS *Almam*,
Quodque ea ſis, Echo nunquid & ipſa docet?
Palma, *Echo*, Alma.

AD

AD R. P. CAROLUM THEATINUM,

De Reliquiis Alipianis, idem à Viro ſub nautæ ſchemate allatis.

P*Onticolam* credis, qui fert tibi Lypſana ALIPI:
Cœlicolam potius credo fuiſſe Pater.

MUTUS LOQUITUR.

DUm neglecta jacent Melitæ ſacra brachia: mutus
Ecce tibi in voces ora ſolutus, ait:
Martyr ALIPIUS eſt, eſt Martyr ALIPIUS, ergon,
Ejus Relliquiis nullus habetur honor.
Heus habeatur honor, Cives, his *Artubus*: illi
Articulos voci quippe dedere meæ.

MORIBUNDUS INFANS

Redit ad Vitam.

TAbificum pueri decoxit membra tenelli,
Nulla pellendum, vi medicante, malum:
Id pepulère tamen ſubitò tua Lypſana ALIPI,
Hinc *herbam* victus dat vel Apollo tibi.

FINIS.

AP-

APPENDIX.

DE CÆCO,

A contactis oſſibus ſacris illuminato.

PAſſa Viri triſtem non parvo tempore noctem
Admittunt, pulsà, lumina, nocte, diem:
Fauſtiter arte pia rem præſtat ALIPIUS: ejus,
Exanimes oculos, oſſa. animare, ſciunt.
Quam rem teſtificans oculis mox cæcus apertis,
Os aperit Sancti, laudet, ut oſſa, Viri.
Non opus *auritis* hìc centum teſtibus: unus
Teſtis (ſi dubites) en *Oculatus* adeſt.

DE URBE PALMA.

ECce ſuis PALMAM ditavit ALIPIUS Urbem
Exuviis: cauſam, Lector Amice, petis?
Vicit aquas, ignes, lapides, gladioſque: quid ergo
VICTORI PALMA charius eſſe queat?

AD MAJOREM DEI,

Ejuſque

VIRGINIS MATRIS,

&

OMNIUM SANCTORUM

GLORIAM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE